



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Specvlvm Monachorvm D. Bernardi, S. R. E. Cardinalis, Et Abbatis Cassinensis**

**Arnulfus <de Boeriis>  
Bernardus <Ayglerius>**

**Dilingæ, 1616**

III. De damnabili eorundem, Infirmis, pauperibus, ac hospitibus prouidendi,  
incuria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48585)



CAPITVLVM III.

IN QVO NEGLI-  
GENTIAM PRÆLA-  
TI INFIRMIS, PAVPE-  
ribus, & hospitibus pro-  
uidendi damnat.



ANE circa infirmos  
debet etiam esse ma-  
xima sollicitudo Ab-  
bati; quod potest col-  
ligi ex verbis P. N.

Benedicti; & hæc tam ex illis quæ  
incumbunt Abbati mediatè, quàm  
ex illis quæ incumbunt immediatè.  
De his enim quæ imediatè incum-  
bunt, cum Beatus P. dixisset: *Infir- Cap. 36.*  
*morū cura ante omnia, & super omnia*  
*adhibenda est, ut sicut reuera Christo,*

M a ita



ita eū seruatur, quia ipse dixit: *Infirmus fui, & visitastis me, &c. vsq; ibi: Quia de talibus copiosior merces acquiritur, subiungit: Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiatur. De his etiam quæ mediātē ad eum pertinere possunt, idem*

*Ubidem.* Pater ait: *Cura maxima sit Abbati, ne à Cellerarijs, aut seruatoribus negligentur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur. Et iterum de Cellerario dicit: Infirmorum, infantum, hospitem, pauperumq; cum omni sollicitudine curam gerat.*

*Cap. 31.*

Abbas quidem multum mereatur infirmis fratribus prouidendo, & subsidijs misericorditer visitando. Nam ex alijs operibus misericordix, charitas eius ostenditur, sed ex hoc præ ceteris confirmatur. Vnde in Ecclesiastico dicitur: *Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Aposto-  
lus

*Ecc. 7.  
39*



Ius etiam inter cætera de quibus  
 prælatos monuit, de proprijs etiam  
 laboribus susceptionem, & prouisi-  
 onem infirmorum induxit, in-  
 quiens in actibus: *Omnia ostendi vo-* Act: 10  
*bu, quoniam sic laborantes oportet su-* 354  
*scipere infirmos, ac meminisse verbi*  
*Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Bea-*  
*tius est magis dare, quam accipere.*  
 Et quamuis aliqui visitationem in-  
 firmorum abhorreant, se ipsos ta-  
 men ad hoc disponere debent, vt  
 in his non sibi placeant, & quæ ad  
 ædificationem pertinent faciendo  
 intendant, eosdem infirmos per-  
 sonaliter visitando, & infirmitatem  
 pacièter portando; Vnde Apost. ad  
 Roman. *Debemus autem nos firmio-* Rom. 15  
*res, imbecillitates infirmorum sustine-* 10  
*re, & non nobis placere. Vnusquisq;*  
*vestrum proximo suo placeat in bo-*  
*num, ad ædificationem.*

Abbas namque debet omnium  
 infirmitates in se portare; vt possit

M 3 ani-



animas lucrifacere Deo, & multos ad salutem adducere. Vnde Apost. *1. Cor. 9, 22,* ad Corinth. ait: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacere-rem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem saluos.* Nam ipse portando operibus misericordie infirmitatem corporalium compalsione, debet anxietatem infirmorum in mentis intimis supportare, & compassionem ipsam magis exemplis, quam verbis ostendere: ut recte possit cum Apostolo illud dicere ad Corinth. *2. Cor., 11, 29.* *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vtor?*

Si enim Abbas debet omnes fratres appellare, & omnes fratres amare: nunquam enim melius potest ostendi debitum fraternitatis, quam tempore tantæ necessitatis; sicut legitur in Prouerbijs: *Frater in angustijs comprobatur.* Vnde si ipse est bonus pater, debet suscipere vulnera

*Prouer.*  
*17, 17.*



vulnera filiorum, & in se portare magnam partem dolorum. Et quos ipsi mittunt patiendo clamores, debet in proprios recipere dolores: vt sic ipse quodammodo propter filij vulnera videatur ligatus, vt ipsis prouideat sollicitus & attentus; sicut de bono patre dicit Ecclesiasticus: *Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera eius.* *Ecel. 30. 7.*

Malus autem Abbas patris vacuum nomen portans, & solam similitudinem nobilitatis ostendens, & veritatem ex compassione nullam retentans, ostendit se durum ad proprios filios, ac si non essent sui, sicut struthio affectus suos: cui meritò adaptatur quod in Iob legitur: *Penna struthionis, similis est pennis herodij, & accipitris, quando derelinquet oua sua in terra. Et post pauca: Obluiscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* *Duratur con-* *Iob. 39. 13.*



*tra filios suos, quasi non sint sui. Quid  
facturus erit in iudicio, quando fi-  
lij conqueretur de duro patre? non-  
ne meritò à domino damnabitur,  
& inferni cruciatibus deputatus e-  
rit? iuxta domini sententiam: Quia  
Jacob. 2. qui misericordiam non fecit, iudicium  
130 sine misericordia fiet ei.*

Dicò superius q, non debeat esse  
negligentia circa infirmos; subijci-  
tur hic rubrica de negligentia non  
adhibenda circa hospites, & pau-  
peres suscipiendos, & adhibenda  
diligentia circa eos.

Hanc negligentiam Abbas non  
posset habere, si diligenter vellet  
considerare, quàm diligenter ho-  
spitibus, & pauperibus prouideri,  
per B. patrem nostrum præcipitur;  
& quantum meritum eisdem pro-  
uidendo acquiritur. Ipse enim de  
hospitum susceptione, & de hono-  
ris eisdem exhibitione, & paupe-  
rum recreatione, capitulum per se  
cum



cum diligentia edidit. Et quod æqualiter Christus in eis suscipiatur, ostendit: *Omnes superuenientes hospites, tanquam Christus, suscipiantur: quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepisti me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime tamen domesticis fidei, & peregrinis. Et ita usque ibi: Pauperum, & peregrinorum maxime, susceptio omni cura sollicitè exhibeatur: quia in ipsis magis suscipitur Christus. Nam diuitum terror, ipse sibi exigit honorem. Et quanta eis sit familiaritas exhibenda, idem Pater ostendit quia mensa Abbatis eis communicanda, dicens: Mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis, sit semper. Meritum enim tantum in hospitem susceptione acquiritur, quod viri hospitales, Deo & Angelis placidi, & amabiles efficiuntur; Unde Apost. ad Heb. Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim*

cap. 531

cap. 562

Heb. 132

M 5 placue



placuerunt quidam Angelis hospitio re-  
ceptu.

Pauperibus & afflictis soluendum est debitum flebilis compassionis; iuxta illud sancti Iob dicentis: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Maior enim compassio pauperibus debetur: quia raro ex corde eis miseretur: Sicut enim diuites multos inueniunt amicos: ita pauperes habent sibi etiam carne proximos, inimicos; Vnde in *Prover.* *Prouerbijs: Etiam proximo suo pauper odiosus erit. Amici vero diuitum multi.* Et idcirco miserenti pauperi, beatitudo promittitur: & despicienti, peccati contagium cumulatur; Vnde ibidem sequitur: *Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.* Abbas autem vt benedictionem mereatur, debet ad misericordiam esse pronus, & ad Eleemosynam **muni-**

Iob. 30.  
29.

Prover.  
14. 20.



munificus; vt in Prouerb. legitur: *Pronus*  
*Qui pronus est ad misericordiam, bene-* 22.90  
*dicetur: de panibus enim suis dedit pau-*  
*peri.* Videtur enim Religioni ma-  
 gnam gratiam facere Deus, quan-  
 do multis frequentatur pauperibus,  
 & quando prouidetur pluribus.  
 Eos enim reliquit saluator discipu-  
 lis, & eos imitantibus religiosis, di-  
 cens in Marco: *Pauperes semper ha-* *Marco*  
*bebitis vobiscum, me autem non sem-* 14.70  
*per habebitis, & cum volueritū pote-*  
*stis eis benefacere.*

Vnde nota, quod munificus ad  
 pauperes, est mercator sapiens, pro  
 re modica, magnum thesaurum in  
 cælis reponens, & vitam æternam  
 acquirens. Vnde in Matthæo. *Da*  
*pauperibus, & habebis thesaurum in* *Matthæo*  
*celo.* Pauperes enim cum sint Deo 19.210  
 proximiores, si nostri fuerint ora-  
 tores, familiariter diuinas loquen-  
 tur ad aures. Vnde Ecclesiast. *De-*  
*precatio pauperis ex ore vsque ad au-* *Ecclesi.*  
*res veniet.* M 6 *Præ-* 21.60



Prælatus verò qui hospitalitates  
 non fecerit, rapinas committere  
 conuincitur : quia quidquid ultra  
 necessaria retinuit, pauperibus,  
 quorum erat, subtrahit. Et secun-  
 dum hoc nota cum Gratiano di-  
 cente secundum Hieronymum :  
 Aliena rapere conuincitur, qui ul-  
 tra sibi necessaria retinere probatur.  
 Et subiungit : Ac sic se per opera  
 pietatis instituat, vt etiam præsentis  
 vitæ subsidia, & æternæ vitæ præ-  
 mia à Deo percipiat : vtrumque e-  
 nim pietati promittitur. Vnde A-  
 postolus ad Timoth. dicit : *Exerce*  
*te ipsum ad pietatem. Nam corporalis*  
*exercitatio ad modicum utilis est, pie-*  
*tas autem est utilis ad omnia, habens*  
*promissionem vitæ quæ nunc est, &*  
*futurae* : ab hac si quis alienus fuerit,  
 in sacerdotem ordinari non pote-  
 rit. Si enim vidua in Ecclesia reci-  
 pi prohibetur, quæ pauperes non  
 recipit hospitio, quæ pedes sancto-

rum



rum non lauit, quæ omne bonum opus non est executum: multo magis sunt prohibendi à sacerdotio, quia opere pietatis probantur alieni.

Attendamus igitur quantum peccatum est, rapinas de rebus pauperum committere, eis victum subtrahere, viscera pietatis claudere, necessitatem patientibus non succurrere; dicente Canone: Qui negat misericordiam necessitatem patientibus ipsum Christum negat. Et Ambrosius: Quisquis enim pascendo seruare hominem poteris, si non paueris, fame occidisti. Et Hieronymus. Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiae & lachrimarum, quamuis spiritualis sit, non adimplet legem Christi. Ob hæc suadeo tibi *Consiliū optimū*  
 Abbas: ut bona Ecclesiae, quæ ut dictum est, sunt pauperum, Christo in pauperibus impendas, victum eis

M 7 non



non subtrahas, te ipsum misericordem, & hospitem exhibeas. Officiales ad id voluntarios, & informatos assumes: Deum in hospitibus honores, in pauperibus adores, in misericordiarum operibus glorifices: te ipsum præbe pietatis executorem, pauperum amatoré, elemosynarum largitorem, fidelem bonorum dispensatorem: ut onere deposito carnis, cælestem gloriam ingrediaris, & à Christo; quem susceperas, audire merearis: Quia

Matth.  
25.210

*super pauca fuisti fidelis, intra  
in gaudium Domini  
tui.*



CAPIT-